

1593 cum jam tunc erexere , quarum posterior haud multo post destructa , prior bello Cameracensi amissa est . Hanc Turcarum , de qua diximus , in Carnos excursionem altera M. CCCC. LXXVII. excepit , Hieronymo Novello , Veronensi , Venetorum imperatore , cum trium peditum millibus atque haud exiguo equitatu a Scandro Turcarum præfecto in infidias petracto ac deleto ; qui victoria insolens , multis incursionibus in penitiora Forijulii factis , de Venetorum terra marique apparatus fama permotus , biduo post Italia abscessit . Tunc a Senatu Joannes Haimus Eques , Zacharias Barbarus , Dominicus Georgius , Candianus Bollanus in Carnos missi sunt , ut , qua ratione Turcis obsistendum esset , disquirerent : qui unanimi consensu Gradiscas tantum fossis , aggeribus , propugnaculis , armis , militum præsidio muniendas censuere . Biennio post tertio aditum in Carnos Turcæ meditati , Caroli Montonii , Venetorum præfecti , virtute repulsi sunt . Anno demum M. CCCC. LXXXVIII. Ludovicus Sfortia Insubribus ab Aloysio duodecimo Aurelianensi , Galliæ Rege , pulsus , cum in Germaniam ad Maximiliani Cæsaris opem confugisset , ad Bajazerem quoque Turcarum Imperatorem , qui tunc bellum cum Venetis gerebat , Ambrosium Buciardum & Martinum Casatum legatos misit , qui illum in Rempublicam incitarent , & in Carnos elicerent . Peditum duodecim millia iis in locis missurum pollicitus Bajazetes , Scandro eam provinciam detulit , qui , ad Sontium , haud longe a Gradiscis , positis castris , quo loco nostri Caroli Ursini imperatoris , Andreæque Zancani legati ductu hostem præstolabantur , pugnæ periculum veritus , diverso itinere usque ad Taliaventi ripas se intulit ; quaque vadari poterat , amne trajecto , usque ad Liquetiam progressus , incensis villis , agrisque vastatis , cum in reditu ad Taliaventum , quod imbribus valde excreverat , pervenisset , copiarum Reipublicæ metu , mille ac quingentis (ut ferunt ) captivis truncato capite , magno jumentorum numero ad fluminis rapidum cursum , qua illi transeundum erat , sistendum , infra supraque posito , transgressus , ulteriore regionem foede depopulatus , abiit . Decem millia hominum absumpta fuisse tunc ferebatur ; multoque graviora accidissent , ni Græci atque Epirotæ , impetu repre-